



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 219. Mittentes sortem super eis quis quid tolleret v. 24.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

tem imbuuntur & percelluntur maiestate Ecclesie, quam in vilibus lacernis monachorum riderent.

**O**ptime fecisti, Domine Iesu, quod tuo sancto Euangelistae eam didicisti phrasim de tuis vestimentis & veste, vnde nequit vel gloriosus vilitate Cleri habitus redargui, nec monastica simplicitas excludi, vt nō ponat homo in habitu sanctitatis vim, sed in exercitio virtutis sub habitu latentis,

§. 219. *Mittentes sortem super eis quis quid tolleret. v. 24.*

Pulchre pro S Ecclesie usu euenit, quod isti diuisores sorte egerint, & ex sortis dictamine acceperint, vnus inconsutilem togam, alius alia vel apposita, vel deposita ab eo, qui solus inconsutilem obtineret, nam sponcione vel deposito quoque verificari potuit diuisio Vestimentorum, si non nisi vna vestis proponebatur. Sed quid hæc sortitio Ecclesie profuit? Ad illud, quod Ecclesia Christi intelligitur nunquam scindi posse, sed si quis se ab illa sequestrat, non Ecclesia scindatur, sed excrementum vel fecerui, vel purtidum quid rescindi intelligatur. Scindi igitur nequit Ecclesia, quæ ternum manens, à Toga inconsutili est præfigurata, quisquis hanc scissam mentitur, ille inconsutilem vestem diuisam fuisse effingit.

**O**Dulcissime Iesu, gratias tibi ago pro infinita tua liberalitate, qua pretiosis tuis vestibus meritorum tuorum vestire dignatus es nos qui te adeo ignominiosæ cruci affixeramus & magis quod Ecclesiam tibi constituiti sine scissura, sine macula, S. Rom. Ecclesiam, sub vno capite Vicario tuo vnitam, non sic synagogæ Acatholicorum. Scinduntur indies & scinduntur in Arminianos, in Gommaristas, in Puritanos, in Caluino Papistas, in Vedelianos, & Apollonianos, in Calixtinos, in Hulsemannistas, in Rigidos, in molles & c. innumeras pestes, donec consumantur.

§. 220. *Erat autem hora tertia. v. 25.*

Hebræi diem in quatuor partes secundum initiales earundem horas diuiserunt, scilicet primam, tertiam, sextam & nonam, quarum quælibet ternas nostrates horas complectebatur. Prima incipiebat ab ortu solis, durabatque tres horas, quibus finitis incipiebat tertia, ac totidem horis durabat, scilicet vsque ad meridiem quando inchoabatur eorum sexta, & finiebat tribus post meridiem horis, cum incipiebat nona, durabatque vsque ad vesperam: Hora ergo tertia que est nona matutina apud nos Germanos, secundum Marcum, crucifixus est Christus per petitionem scilicet Iudeorum clamantium crucifige crucifige ad Iudicem, qui & eorum voluntati eum dedit ad flagellandum & crucifigendum, à quo tempore con-